

chio Moraviae, Comes Habsburgi et Tyrolis &c. agnoscimus et memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniversis: Quod cum Sacratissimo Principi ac Domino Domino Mathiae Dei Gratia Electo Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Regi, Domino Patrueli et Patri nostro observandissimo benigne visum fuisset, Inclito suo Hungariae Regno, partibusque eidem adnexis, pro pia atque paterna sua cura et sollicitudine de futuro Rege atque Successore tempestiue prospicere, eumque in finem ex singulari sua et paterna erga nos gratia et amore ejusdem Regni Status et Ordines benigne requisivisset, uti nos in futurum ipsorum Regem eligere acceptare, proclamare et coronare adeoque optime Majestatis Suae Cesareae Regiaeque intentioni, quae nonnisi in beneficium hujus Coronae redundare queat, sua quoque ex parte respondere vellent, Iidem Status et Ordines sollicitum hunc, et iam ante pluribus occasionibus contestatum Majestatis Suae Cesareae Regiaeque affectum, uti fideles et Cives Patriae amantes decet, grato animo agnoscentes, ejusdem desiderio haud grauatim obsecundare, atque nos in Regem atque Dominum ipsorum iuxta antiquam consuetudinem et libertatem eorum semper observatam paribus votis et unanimi consensu rite eligere, proclamare, inuocatoque demum Numinis diuini auxilio feliciter etiam coronare promptos paratosque fore declarauerint, demisse rogantes, vti infrascriptos Articulos, omniaque et singula in eis contenta rata, grata et accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis praebentes, clementer acceptare, auctoritate nostra Regia approbare et confirmare, atque tam nos ipsi suo tempore benigne observare, quam per alios, quorum interest, firmiter observari facere dignemur. Quorum quidem Articulorum tenor sequitur, et est talis: Prima conditio. Quod vniversas et singulas Regni libertates, Immunitates, Priuilegia, Statuta, Jura et consuetudines simul et conclusiones Tractatus Viennensis, omnesque Articulos in eodem comprehensos, ita et reliquos ante et post Coronationem modernae Sacrae Cesareae Regiaeque Majestatis in Anno Millesimo sexcentesimo octauo, et Millesimo sexcentesimo Nono editos, in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis Sua Majestas Regia firmiter et sancte observabit, per aliosque omnes inuiolabiliter observari faciet. Secunda conditio. Quod grauamina, si quae usque ad tempus suscipiendi Regiminis Majestatis Suae qualitercunque euenerint, ea statim in initio Regiminis Suae Majestatis in Diaeta primitus intra spatium sex mensium publicanda penitus tollet. Grauamina autem vniuersorum Statuum et Ordinum Regni, quaecunque successu temporis sub Regimine Suae Maiestatis emergerint ea in singulis Diaetis, quas Sua Majestas Successiuis temporibus pro commodo et necessitate Regni quo saepius fieri poterit, ita ut terminum triennii non excedat, publicare et celebrare dignabitur, sub eadem Diaeta tollet et effectuat. Tertia conditio. Quod quando de rebus et negotiis Regni Hungariae aut Partium ei subiectarum agetur, ea per Hungaros tractare et consultare dignabitur, iuxta Articulos Anni Millesimi sexcentesimi octauo, nonum et decimum ante Coronationem editos; item Anni Millesimi quingentesimi quinquagesimi noni articulum octauum. Neque etiam supplicantes aut causantes Indigenas Regni intra ambitum ejusdem occurrentes ad Regimen et Jura externa rejicere, pertrahere et ablegare pacietur, iuxta extrema verba Articulorum decimi et decimi sexti ante Coronationem et Decreti Ferdinandi Anno Millesimo quingentesimo tricesimo sexto, articulo quadragesimo primo editi. Quarta conditio. Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia Officia tam in hoc, quam